



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

42. An Confessio sacramentalis injuncta singulis mensibus possit ultra differri? Et an in prædicto casu possit anticipari? Idem dicendum est in utroque casu, si votum esset emissum de confessione ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

habere, quoties penitentia per longum tempus, statim temporibus, distribuitur, quae si in unum coniungeretur, intolerabilis esset: v.g. si debeas ex penitentia iniuncta singulis hebdomadis, imò & singulis mensibus ieiunare, vel communicare, & longo tempore ieiunia, vel confessiones omiseris: censent, te non esse obligatum compensare; quia intentio confessarii hanc penitentiam imponentis fuit finire simul cum tempore obligationem, ne si, simul cum subsequente persisteret; penitens nimium graueretur.

RESOL. XLII.

An Confessio sacramentalis iniuncta singulis mensibus possit ultra differri?

Et an in praedicto casu possit anticipari?

Idem dicendum est in viroque casu, si votum esset emissum de confessione agenda singulis mensibus? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 99. alia 100.

§. 1. **P**onam hic verba Ioannis Sancieri in *selectis*, disp. 13. n. 9. ubi sic asserit: Animaduertito tamen non transgressurum penitentiam illam, cui esset iustum intra unum mensem confitendum fore, si per tres, vel quatuor dies ultra mensem confessionem differret, praeterim ex causa iusta, & idem iudicio si votum esset emissum de confessione agenda. Non enim ita mathematicè praefigendus est terminus, nec Deus adeo rigorosus exactor erit iudicandus. Imò si intra octo dies à mense elapso solemniter aliquis dies sequeretur, vel Iubilaeum, &c. posse differri confessionem usque ad illam diem mihi persuasum, si ægrè penitens ferret bis intra octo illos dies confiteri, vel Iubilaeum non lucrari. Et posse anticipari per octo dies minime dubito, ex causa illa Iubilaei, vel solemniter diei. Quod si per tres hebdomadas confessionem praevenerit, forte non implebit praecipuum, cum mens iubentis eò tendat, ut per mensum curet penitens mundam habere conscientiam; certior namque experientia sumitur emendationis penitentis per spatium vnius mensis, quam per hebdomadam. Haec Sancierus. multum pro praxi condecens, licet aliquibus non admodum certa videantur.

RESOL. XLIII.

An qui per Confessarium vigore literarum alicuius dispensationis habuit penitentiam, ut singulis mensibus confiteatur, an, inquam, confessionem aliquo mense omissam teneatur sequenti supplere?

Et notatur, quod eo mense, quo iste vellet satisfacere praecipuo confessionis annua, tantum obligatur ad unam confessionem, eaque satisfaciet tum dispensationem tum praecipuo Ecclesiae.

Idem est de eo, qui menstruam confessionem vouit, vel si à qualibet Confessario menstruam confessionem in penitentiam habuit? Ex part. 3. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 31.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Petrus Ochaguaia de *Sacr. tr. 4. q. 14. n. 4.* ubi sic ait: Sentio quod si ille, cui singulis mensibus sit imposita confessio in aliquo mense, non confiteatur, cogendum eum esse in sequenti mense bis confiteri, quod simile est illi resolutioni, quam defendimus in materia de penitentia, scilicet eum, qui vno anno non implevit praecipuum confessionis, debere in altero sequenti bis confiteri; cuius est ea assignanda ratio, quia confessio haec non tam imponitur pro onere,

quam ad perfectionem, & suppleendam, excellentiam voti. Ita ille, satis quidem probabiliter.

2. Sed etiam non minus probabilem negativam sententiam existimo, quam docet Sanchez de *marr. tom. 3. lib. 8. disput. 34. num. 37.* ubi sic asserit: Si mensis transeat absque confessione, credo hunc non teneri confessionem omissam supplere; alio mense eam duplicando, ad quod onus singulis mensibus adstrictus sit. Sicut vouens quotidie recitare, non tenetur preces alicuius diei omissas supplere. Haec Sanchez.

3. Nota tamen quod non solum Sanchez, sed etiam Ochaguaia asserunt, quod eo mense, quo iste vellet satisfacere praecipuo confessionis annuae, tantum obligabitur ad unam confessionem, eaque satisfaciet tum dispensationi, tum praecipuo Ecclesiae; quia non est credendum Pontificem velle maius ei onus imponere, & sic ait Sanchez dicendum esse de eo, qui confessionem menstruam vouit, & de eo, qui, v.g. per aliquos annos habuit à Confessario impositam singulis mensibus confessionem, & in aliquo illorum coincidit praecipuum Ecclesiae, nam in his casibus non tenetur ad duplicem confessionem, quae sunt valde notanda, quia practicable.

Sup. hoc in Ref. annor. praeferat in eod. §. & v. & infra in Ref. 30. per tota & signanter §. Difficult. & in to. 2. tr. 2. Ref. 24. in fine.

RESOL. XLIV.

An penitentia imposita à Confessario possit differri ad unum annum?

Et quid si intra praedictum annum iterum vult confiteri, & non adimplevit penitentiam praeteritam, vel primam confessionem praeteritam, an adhuc possit differre primam penitentiam ad unum annum? Ex part. 10. tr. 12 & Misc. 2. Ref. 42.

§. 1. **N**on posse, videtur docere Tamburinus *Opus. de Confess. lib. 4. cap. 2. §. 2. n. 9.* ubi sic ait: Debet adimpleri penitentia quando Confessor designat: licet facile excusari possit à mortali dilatio talis temporis designati; quia communiter confessarii praecipuum cadit potius in rem exhibendam, quam in tempus. Quod si non designat, ut communiter fieri consuevit; per se loquendo, debet impleri quam primam commodè moraliter potest, sicuti obligat votum aliaque similia: videtur tamen probabile, quod dilatio, nisi sit nimia, & ad longum tempus & nisi ipsa dilatio minuat rem iniunctam, non sit mortalis; Sicuti idem dicitur de voto absque temporis determinatione emisso, quando dilatio rem promissam non minuit, ut minueret tardus ingressus in Religionem. Aliqui simpliciter, & absolute extendunt ita eiusmodi obligationem; ut censent ad unum annum posse differri: sicut ad unum annum differri potest obligatio confitendi: quod tamen videtur nimis largè prolatum. Ita ille.

Sup. hoc in Ref. not. primae post seq. Sup. hac dilatio infra in Ref. 46. & in aliis eius primae not.

2. Sed ego non discedo à sententia affirmativa, quam probabiliter olim docui ex Antonio Fernandez; & quam nouissime me citato, tenet Martinus de San Ioseph, in *Mon. Confess. tom. 5. lib. 1. tract. 23. de Penit. n. 16.* sic asserens: Pero quando el Confessor dio la penitencia, y no señala tiempo, si el penitente dilato cumplirla un año, no me parece que pecara, o à lo sumo venialmente; pues el que peca mortalmente poco despues que le confesó por Pasqua, puede dilatar la confession por un año, y parece correr la misma razon en un precepto que en otro, & ubi eadem militat ratio, eadem debet militare iuris dispositio, *cap. transacto, de confis. leg. Illud. ff. ad leg. Aquilianam.* Haec Martinus: cui adde etiam me citato; Leandrum de *Sacrament. tom. 1. tractat. 5. disputat. 9. quæst. 89.* qui testatur hanc sententiam tenuisse sapientissimos Magistros Primarios in Salmanticensi academia. Dico itaque posse licitè per annum penitentiam differri. Quod ex *cap. omnis de*

Docuit supr. in Ref. 5 §. vlt. in fine & in Ref. 18 in fine, & late infra in Ref. seq. & in Ref. 1. post seq in §. Non delinam & in Ref. 24 §. vlt. ad medidum.